Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



area sua et congregabit triticum in horreum suum paleas autem comburet igni inextinguibili Angelus quidem et alia exhortatus euangelizabat populo. Herodes autem tetrarcha cum arguerentur ab illo de Herodiade uxore fratris sui et de omnibus malis quae fecit Herodes adiecit et hoc super omnia et inclusit Johannem in carcere. Factum est autem ut baptizaretur omnis populus. Et Iesu baptizato et orante apertum est celum et descendit spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum et vox de celo facta audita est. Tu es filius meus dilectus in te complacui mihi. Et ipse erat Iesus incipiens quasi annorum triginta ut putabatur filius Joseph. Qui fuit Heli. qui fuit Matthat qui fuit Levi. qui fuit Melchi. qui fuit Janne. qui fuit Joseph. qui fuit Amos. qui fuit Naum. qui fuit Hesli. qui fuit Naggai. Qui fuit Mathat. qui fuit Mathatie. qui fuit Semei. qui fuit Joseph. qui fuit Juda. qui fuit Johanna. Qui fuit Resa qui fuit Zorobabel. Qui fuit Salatiel. qui fuit Neri. qui fuit Melchi Qui fuit Addi Qui fuit Cosam. Qui fuit Helmodam qui fuit Her. Qui fuit Jesu. Qui fuit Eliezar. qui fuit Joram. qui fuit Mathat. qui fuit Simeon. qui fuit Juda. qui fuit Joseph. qui fuit Jona Qui fuit Eliachim. qui fuit Melea. qui fuit Mainan Qui fuit Mathatha. qui fuit Nathan. qui fuit David. qui fuit Jesse. Qui fuit Obed. qui fuit Boz. qui fuit Salmon Qui fuit Naason. qui fuit Aminadab. qui fuit Aram qui fuit Esrom Qui fuit Phares. Qui fuit Juda. qui fuit Jacob. qui fuit Ysaac qui fuit Abraham Qui fuit Thare Qui fuit Nachor qui fuit Sedecor. qui fuit Ragau. Qui fuit Phalech Qui fuit Heber qui fuit Sale. qui fuit Cainan. qui fuit Arphaxat Qui fuit Sem. qui fuit Noe. qui fuit Lamech Qui fuit Mathusale qui fuit Enoch Qui fuit Jared. qui fuit Mahalaleel. qui fuit Cainan Qui fuit Enos. qui fuit Seth. qui fuit Adam qui fuit dei Sequitur capitulum Lucae euangelii IIII

Iesus autem plenus spiritu sancto regressus est a Jordane et agebatur a spiritu in deserto quadraginta diebus et tentabatur a diabolo. Et nihil manducauit in diebus illis. et consumptis illis esuriit. Dixit autem illi diabolus. Si filius es dic lapidi huic ut panis fiat. Et respondit Iesus.